Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

festinanti fratri moram non facere. qui ante triduum quam profecturus erat a me
epistolas flagitavit, ut pene in procinctu haec qualiacumque sunt effutire compel-
ler et tumultuario respondere sermone. non maturitate scribentis sed dic-
tantis temeritate. quae plerumque non in doctrinam sed in casum vertit. ut fortissi-
mos quosque milites subita bella conturbant. et ante coguntur fugere quam
arma arripere. Ceterum armatura nostra Christus est, et apostoli Pauli institutio qui
scribit ad Ephesios. Assumite armaturam dei, ut possitis resistere in die
malo. Et rursum. State praecincti lumbos vestros in veritate, et induti lori-
cam iustitiae, et calciati pedes in praeparatione evangelii pacis. super omnia
accipientes scutum fidei, in quo possitis universa tela maligni ignita extingue-
re. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus quod est verbum dei. His quondam telis
rex David tendebat ad proelium. et quinque lapides de torrente accipiens levi-
gatos armatus procedebat. nihil asperitatis et sordium inter huius seculi turbines
in suis sensibus esse monstrabat. bibens de torrente in via. Idcirco exaltavit
caput, et superbissimum Goliam suo potissimum mucrone truncavit, percutiens in
fronte blasphemum, et in ea parte corporis vulnerans, in qua et ipse usurpator sacer-
dotii Ozias lepra percutitur, et sanctus gloriatur in domino dicens. Signatum est super nos
lumen vultus tui domine. Dicamus ergo et nos. Paratum cor meum deus, paratum cor meum. can-
tabo et psallam in gloria mea. exsurge psalterium et cythara, exsurgam diluculo.
ut in nobis possit impleri. Aperi os tuum et implebo illud. Et. Dominus dabit ver-
bum evangelizantibus virtute multa. Te quoque ipsum orare non dubito, ut inter
nos contendentes veritas superet. non enim tuam queris gloriam sed Christi. Cumque tu
viceris, et ego vincam, si meum errorem intellexero. et e contrario me vincen-
te tu superas. quia non filii parentibus sed parentes filiis thesaurizant. Et in
ΠΑΡΑΛΙΠΠΟΜΕΝΟΝ
paralippomenon libro legimus, quod filii Israhel ad pugnandum processerint mente
pacifica. Inter ipsos quoque gladios et effusiones et cadavera prostratorum non suam